



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Cap. VII. De mari Parthenio, seu sinu Virginis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

CAPVT VII.

De Mari Parthenio, seu Sinu Virginis.

HVIYS vocis meminit Eustathius in Dionysium, Πέλαγος ἔξ Παρθένου κόλπου Ἐλάδου οἱ Παλαῖοι, ob Europam ex Phœni-
ciâ in Cretam per hunc maris tractum deportatam; Quare Mani-
lius lib. 4. sic cecinit de hoc mari:

Ille puellari donauit nomine fluctus,

Et monumenta sub hoc titulo sacrauit amoris.

Inde intelliges quare Ammianus Marcel. Orontem Fl. deuoluat
in mare *Parthenium*; itémque cur lib. 22. Issicum mare *Parthenium*
nuncupet. Ortelius *Parthenij* nomen à vrbe *Paratonio* deducit,
quæ apud Æthicum *Parthenium* appellatur. Dicitur aliter hoc
mare ab Eustathio *φαια θαλασσα*, à Solino cap. 26. vt præmonui-
mus *Aegyptium*, itémque etiam à Strabone lib. 10. Siquidem *Æ-*
gyptium Cretico, & Carpathio connectit. Vastus autem hic tra-
ctus maris in sequentia maria distribuitur.

LYCIUM à Lyciâ Asiæ Minoris Prouinciâ. Plinius in eo
Rhodum collocat. Sed Ptolemæus lib. 5. cap. 3. illud vrbe Lyciæ
extremâ *Calindâ* restringit ab Occidente.

PAMPHYLIVM à Pamphylîâ regione: de quo dissident Pli-
nius, & Ptolemæus; quorum hic *Crambusam* insulam in Pamphy-
lio collocat, ille in Lycio. Strabo lib. 2. *Pamphylum* cum *Lycio*
confundit; & illud extendit ad *Cyprum*. Sed hoc mare Strabo &
Eustathius *Κόλπος* vocant.

ISSICVM seu **CILICIVM** mare, inter *Cyprum* inf. & *Cili-*
ciam. Ptolemæus hoc ab vrbe *Sidra* inchoat: Mela ab *Anemurio*.
Item Ptolem. hoc Fretum vocat *Αἰθῶνα*, quam vocem Plinius lib.
5. cap. 31. Latinitate donauit: *Mare quod prætenditur vocant Aulona*
Cilicium. Ptolemæus partem eius facit *Sinum Issicum*, videlicet
intimum eius recessum ad urbem *Issum*. Strabo autem lib. 2. Ma-
re *Cilicium* cum *Issico Sinu* confundit; immo & Dionysius *Pam-*
phylum cum *Cilicio*: à quo & videtur aliter *Mare Sidonium* appel-
lari.

SYRIACVM statim ab vrbe *Isso* dicitur à Ptolemæo lib. 5.
cap. 15. & porrigitur ad *Corcæi* Fl. ostia, qui in Sacris Codicibus

Tor-

Torrens Ciffon appellatur. Cap. autem 14. *Cypro* admouetur ab Occidente. Strabo tamen ab vrbe *Iffo* ad *Orthofiam* deducit.

PHOENIGIVM excipit Syriacum, & *Phœnicum* à Plinio vocatur. Παρολίαν Φοινίκην Strabo lib. 16. & ab vrbe *Orthofia*, *Pelufium* vsque promouet. Huc quoque pertinent quæ diximus de SIDONIO Dionysij in *Iffico*, quod vsque ad *Casium* montem Ægypti promouet, & *Phario* mari connectit.

IONIVM hîc constituit Eustathius in Dionysium à *Gaza* Ægyptum vsque; propterea quod quidam Gazam *Ionem* vocent; ideòq; in eâ vrbe statua Ius seu Lunæ colebatur sub formâ bouis:

Ἰὼ γὰρ ἡ Σελήνη ἐν τῇ Ἀρχαίᾳ διδάλεται.

ÆGYPTIVM Dionysio, & Poëtis Mare PHARIVM, à *Pharo* insulâ Alexandria Ægypti adiacente, diuersos à diuersis terminos accepit. Nam iuxta Ptolemæum attingit *Cyprum*. Apud Strabonem *Egeæ* copulatur. Ab Oriente extenditur ab Eustathio ad *Sinum Ifficum*: Ptolemæus *Corseo* Fl. hoc coërcet; Dionysius à *Casio* Monte ad *Sirbonidem* paludem extendit. Ab Occidente denique apud Ptolemæum ad *Axillam villam* promouetur; ab aliis ad *Catabatum*, ab aliis *Ægypto* tantum coextenditur.

CAPVT VIII.

De Mari Libyco.

MARE quod Africam alluit à Septentrione Libycum dicitur; quia Græcis Africa *Libya* est. Ita protensum mare ab Ægypto ad fretum *Gaditanum* LIBYCVM vocant Mela, Plinius, Strabo, in quo Libycum propriè dictum, Africanum; itémque partes Sardoï & Iberici reperimus.

LIBYCVM propriè dictum, limitem habet ab Oriente Ægyptum, & apud Ptolemæum lib. 4. cap. 3. extenditur ab *Axillâ villâ* ad intimam *Syriam Maiorem*, hoc est, *Phileni villam* (aliis *aras*) ultra quam Ptolemæus Mare Libycum non promouet. Apud eundem lib. 3. cap. 17. ad *Crete* australia propagatur: itaque ad Peloponnesum non excurrit, sed restringitur lineâ à *Pachyno* Pro. ad *Cornu Arietis* *Crete* deductâ: quandoquidem disertè asserit lib. 3. cap. 17. Peloponnesum à meridie *Adriatico* perfundi.

AFRICANVM Ptolemæo, *Melæ Africum* à *Villâ Phileni*, in-

Q